

NICOLAI VIGELII  
Jurisconsulti

METHODVS  
IVRIS CONTRO-  
VERSI PERFE-  
CTISSIMA.

In LIBROS SEX distincta.

In quorum

- I. De Legibus, Magistratibus & Iudiciis publicis, siue criminalibus, eorundemq; ad-  
iunctis, euentis, & consequentibus :
- II. De Iudiciis priuatis, siue Civilibus :
- III. De reliquis Iuris publici capitibus, deq; iure personarum, ac rerum priuato:
- IV. De causis Iuris lucretiui, hereditariis & possessionibus :
- V. De causis Iuris acquirendi onerosis, vt & retinendi, & amissi recuperandi :
- VI. De retractu tum municipali, tum conuentionali, agitur.

Adiunctis TITVLIS duobus generalibus,

DE VERBORVM SIGNIFICATIO-  
NE, ET REGVLIS IVRIS.

*Cum Ratione Iuris (controuersi, cum iudicio legendi, & in iudicando  
sequendi, Operi praefixa.*

Opus perfectissime elaboratum, à nemine haectenus tentatum.

*Nunc postremo ab ipso AVTHORE recognitum, quamplurimis in locis, & vi-  
ginti quatuor Authorum accessione auctum.*

Vna cum INDICE Rerum & verborum locupletissimo.

*D. Guernardus*



FRANCOFVRTI,

Sumptibus Ludouici Regis, Bibliop.

M. DC. XXVIII.

AD SACRI ROMANI  
IMPERII ORDINES VNIVERSOS  
NICOLAI VIGELII IC.

*Prefatio.*



**C**UM Turcæ ceruicibus nostris immineant, maximè vobis, Principes, cæteri que Imperij proceres, cogitandum est, qua ratione illorum potentia resistatis. Ideoque neminem de hac re verba facientem, quamuis infimæ sortis hominem, despiciere vos decet, ut aliquod consilium ad tantam potentiam infringendam inuenire possitis: cum sapè etiam holitor (vt est in prouerbio) valdè opportuna sit locutus. Mihi quidem bella Turcarum cum Christianis videri solent certamina esse Iurisprudentiæ cum Eloquentia, vtra ex iis Rebuspubl. gubernandis magis sit idonea. Nisi enim illi meliorem Iurisprudentiam in suis Rebuspubl. haberent, quàm vos in vestris, per rerum naturam impossibile esset, illorum Regnum in tantam amplitudinem crescere. Omnes homines in vestris iudiciis delictum diuturnitate conqueruntur, in omnibus Imperij comitiis de ea tollenda consultatur, sed in consilium adhibentur ii, qui plus Eloquentiæ quàm Iurisprudentiæ operam dederunt. Ideoque consilium aduersus eam inueniri non potest. At cum sine iudiciis nulla Respubl. possit esse diuturna, parum interest, vtrum iudicia nulla sint, an perperam instituta, vt decem vel viginti annis in vna causa sit litigandum, quæ iudiciis rectè constitutis vel primo anno expediri possit, & ad finem perducatur. Hinc multiplicatur in Rebuspubl. lites, exacerbantur inuicem partes, boni quibus iudicia refugium esse debebant, ab iis abhorrent, mali in sua malitia confirmantur, dissoluitur disciplina publica: quæ certè non ita cõtingerent, si in vestris Scholis iuuentus ad Iurisprudentiam potius, quàm ad eloquentiam & disputandi leuitatem institueretur. At contra sit, iuuentus ad perorandum & subtiliter disputandum exercetur. Vnde dicendo affectus mouere, omnia in dubium capere, nodosque necere, quos ipsi dissoluerenequeunt, sese aduifecit. Et Mynfingerus in præfatione suarum Obiervationum conqueritur, ab aliquot iam annis legum Professores in Academiis aucupandæ famæ cupiditate magis, quàm veritatis indagandæ studio non modò præteritorum temporum constanti persuasione receptas sententias infringere atque impugnare, sed Pandectarum etiam, & Constitutionum scripta inuertere, distorquere, corrumpere, vim antiquorum scriptis adferre, verborum aucupia, syllabarum tendiculas, literarum decipulas comminisci, legesque in prauos sensus detorquere ausos esse. Hinc opinionum pelagus apud Iuris interpretes suppullabat, quod in dies magis magisque in nobilissimam Iuris artem, ad conseruandam Rerumpubl. salutem maximè necessariam, ita exundat, vt eam penè totam, nisi in tempore succurreretur, obruet & obscurat. Hinc, iure certo finitoque de medio sublato, succedit ius controuersum & infinitum, quod controuersis hominum decidendis ineptum est, ac iudicem in iudicando perturbat, incertumque reddit. Accedit & aliud ex institutione Scholastica malum, quod leges sine omni ordine doceantur. Vnde fit, vt in tanta legum confusione nemo scire possit, quæ cuiusque iuris sint exceptiones, exceptionum replicationes, replicationum duplicationes, &c. Hinc iuuentus ex Scholis ad forum progressa in huiusmodi causarum argumentis indagandis multos indices & repertoria percurrere, magnaque volumina voluere ac reuoluere necesse habet, vt aliquid inueniat, quod aduersario obiciat. Quæ sanè res iustitiæ administrationem plurimum remoratur, litesque in multos annos suspendit. Sed & illud accedit, quod cum iuuentus ad perorandum & disputandum duntaxat exercetur,



# RATIO IVRIS CONTROVER

## SI CVM IVDICIO LEGENDI, ET IN IVDICANDO SEQVENDI.



**V**s controversum appellamus, quod in opinionibus ac disputationibus Doctorum consistit: de quo in utranque partem probabiliter dubitari contingit. Hoc à certo iure distat, quemadmodum probabilis auctoritas à necessaria. Siquidem certi iuris auctoritas necessaria est, à qua iudici in iudicando recedere non licet. *Inst. de officio iudicis, in princ. & l. si expressum. ff. de appellationibus.* Iuris verò controversi auctoritas non est necessaria, sed probabilis tantum. *Quam sententiam Curtius Junior consil. 160. num. 4. & consil. 176. num. 2. communem dicit. Cui accedunt ea quae tradit Franciscus Viannus libro 2. comm. opin. versic. glossa opinis.* Hoc ius controversum originem sumit ex interpretationibus Iuriconsultorum, & ex disputationibus fori. Legibus enim laetis naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideret prudentium auctoritatem, necessariamque disputationem fori: ut testatur Pomponius *l. 2. §. de legibus. ff. de origine iur.* Ex huiusmodi interpretationibus ac disputationibus controversum ius solet oriri. Cum enim naturalis sit hominum ad differendum facilitas. *Item si vnu. l. 7. §. principibus. ff. de arbitrio:* saepe viri docti vel minimè mali opinibus inter se confligunt: ne dicam de iis qui magis contentioſius quam veritatis audi, studio cuncta oppugnant, & argumentis ex longinquo desumptis leges in praeiudicium detorquent. Quo vicio plerumque Oratores laborant, & qui causas in foro defendunt. hi enim Academicorum instar omnia indubium rapiunt, & leges nunc in hæc, nunc in aliam sententiam vincendi studio detorquent: hoc enim persuasum habent, nihil tam firmum esse, quod non aliqua ratione possit labefactari, & dicendo subvertitur. ideoque iuri subvertendo quam conservando magis sunt idonei: quorum finis est persuadere, siue iustum, siue iniustum sit quod proponunt. Vbi ergo pro Iuriconsultis oratores in precio sunt abi neque certum, neque finitum ius sperare licet. Plurimum insuper ius controversum auget nimia illa in distinguendis legibus facilitas, qua interpretes iuris laborant. Falsò enim persuasum habent, ius & iuris exceptiones non solum ex legibus, sed etiam ex regulis generalibus & argumentis vnde cumque desumptis consistere: cum tamen *ut Paulus l. c. ait* iuxta regulas ius non sumatur *l. 1. ff. de reg. iur. & omnis exceptio (ut Imp. Iustinianus ait) aut ex civili, aut prætorio iure descendat, Institut. de exceptionibus. §. hæc exempli, in fin.* Hoc non attendentes iuris interpretes, levibus sæpè rationibus leges distinguunt, & exceptiones aduersus eas comminiscuntur, quæ postea ab aliis impugnantur. Vnnon minima iuris controversi portio profecta est. Hisce rationibus crescit opinionum pelagus, quod *(ut Richardus nosse scribit)* indices magis magisque in nobilissimam

artem boni & equi ita exundat, ut eam penè totam obruat & obscuret. Et Tiraquel. sepius, *praesertim lib. 2. retract. §. 1. gl. 2. n. 26. & 28.* conqueritur, *Nihil non in iure nostro controversum esse.* Quam rem Minfingerus etiam in *praesat. suarum Observat.* deplorat: nec immeritò, cum ista iuris incertitudo incertum Rempubl. statum efficere, & magnam Imperiorum mutationem portendere solear. Vnde ius hoc non tam portio, quam destructio iuris civilis videri potest. Siquidem in iure civili *(ut Cuius lib. 1. de Orat. testatur)* docemur non infinitis, concertationumque, plenis disputationibus, sed auctoritate nutuque legum. Ac ius controversum non ineptè comparatur Oceano, in quo navigantes fluctibus nunc huc, nunc illuc impelluntur. In hoc iuris Oceano multi etiam præclaris ingenijs præditi naufragium fecerunt: & cum post multos labores exhaustos, sumptusque magnos factos, viderent ex isto iure incerto certam scientiam se consequi non posse, studium iuris deseruerunt. Et sanè nisi index certam rationem norit, qua se ex hoc iure incerto extricare possit: qui causas suas eius iudicio committunt, perinde faciunt ac si ludant tesseras, suasque fortunas committant aleæ. Vnde summo perè cogitandum, quibus rationibus nos ex iure controverso extricare possimus.

Imperator sanè Iustinianus cum videret antiquioribus quoque temporibus per ceteras interpretantium sententias totum penè ius conturbatum esse, prohibuit suis libris commentarios applicari *l. 1. §. nostram autem & lib. 2. §. hoc autem quod C. de veteri iure enucleando.* Sed id obtinere sua controversum evitari posset, Iuriconsultis interpretandi facultatem ademerunt, ac sibi vendicavit. Sic enim *l. c. de legibus. Imp. Constantinus.* Inter æquitatem *(inquit)* & ius interpositam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere. item *l. leges §. C. eod. tit. Imp. Valentinianus & Martianus:* Si quid *(inquit)* in legibus laetum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab Imperatoria interpretatione patenti, duritiamque legum nostra humanitate incongruam emendari. item *l. vlt. in fin. C. eod. tit. Imp. Iustinianus:* Tam conditor *(inquit)* quam interpres legum solus Imperator iustè exillimabitur. *Quò accedit etiam l. cum de nouo. 10. C. eod. tit. l. 2. §. sed quis divina. & §. si quid verò C. de veteri iur. enucleat. Novell. 142. in pr.* Vnde iudices olim in dubiis causarum questionibus Imperatores consulebant. *Novell. 1. pen. & Nov. 13 §. carorum si iudicis.* Hæc ratio si in vsum fuisset retenta, ob ius controversum non laboraremus. Sed nec desperandum esset, si in vsum revocari posset, ut ipse nos quos est legum ferendarum potestas, etiam interpretandarum legum potestatem exerceret, itaque controversum suis constitutionibus, definiret. Quod Carolus V. in hac quaestione, Vtrum filij suorum, cum sunt soli, defuncto patre in stirpes an in capita succedant? facies, maximam Doctorum controversiam diremit: cuius Minlin-